

luxuriae; colligebat bonae valetudini contraria esse alimenta
varia et nostris aliena corporibus. At Pythagoras omnium inter **19**
omnia cognationem esse dicebat et animorum commercium
in alias atque alias formas transeuntium. Nulla, si illi credas,
5 anima interit, ne cessat quidem nisi tempore exiguo, dum
in aliud corpus transfunditur. Videbimus per quas temporum
vices et quando pererratis pluribus domiciliis in hominem
revertatur: interim sceleris hominibus ac parricidii metum
fecit, cum possent in parentis animam inscii incurrere et ferro
10 morsuve violare, si in quo <corpore> cognatus aliqui spiritus
hospitaretur. Haec cum exposuisset Sotion et implesset **20**
argumentis suis, 'non credis' inquit 'animas in alia corpora
atque alia describi et migrationem esse quod dicimus mortem?
Non credis in his pecudibus ferisve aut aqua mersis illum
15 quondam hominis animum morari? Non credis nihil perire
in hoc mundo, sed mutare regionem? nec tantum caelestia
per certos circuitus verti, sed animalia quoque per vices ire et
animos per orbem agi? Magni ista crediderunt viri. Itaque **21**
iudicium quidem tuum sustine, ceterum omnia tibi in
20 integro serva. Si vera sunt ista, abstinuisse animalibus inno-
centia est; si falsa, frugalitas est. Quod istic credulitatis tuae
damnum est? alimenta tibi leonum et vulturum eripio.' His **22**
ego instinctus abstinere animalibus coepi, et anno peracto non
tantum facilis erat mihi consuetudo sed dulcis. Agitatiorem
25 mihi animum esse credebam nec tibi hodie adfirmaverim an
fuerit. Quaeris quomodo desierim? In primum Tiberii
Caesaris principatum iuventae tempus inciderat: alienigena